

monstrativam. Differunt nempe, quod illa sit, qua quid produ-
citur; ista, qua quid ostenditur, seu demonstratur, vel certe ostendi
ac demonstrari potest. Priorem vocant alias, laxiori voce,
(ad cætera, quæ ponunt, causarum genera comprehendenda) *Cau-
sam rei, ac essendi, & in essendo, atque incomplexam*; posteriorem
cognitionis, ac cognoscendi, & in cognoscendo, atque complexam.
Quarum quidem posteriorem unice præsentis instituti esse, ex di-
ctis plus satis est perspicuum.

§. 4. Hanc ipsam vero nunc porro dirimimus in *illativam,*
& *demonstrativam* specialiter sic dictam. Est nempe *Causa illati-
va,* qua demonstratur, quod aliquid sit, hoc est, quod verum atq;
certum sit id, quod aliqua propositione effertur ac continetur. Cu-
jusmodi proinde quælibet propositio vera, ac certa, seu infallibi-
lis est, ex qua alia necessario fluit, vel etiam actu argumentando
deducitur; ipsumque adeo antecedens argumenti demonstrativi
(quod in eodem, syllogistice proposito, Minoris plerumque locum
occupat) vel etiam utraqve illius præmissa. Quam causam in-
telligi ab Aristotele nonnulli putant, quando is supra rationem
scientiæ in causæ notitia ponebat, & demonstrativas propositio-
nes causam conclusionis continere asseverabat. (Conferatur Gas-
sendus P. III. Instit. Log. Canon. XVI. p. 116. Dn. Weigelius in Ency-
clop. Mathematico-Philosoph. Sect. II. c. XII. p. 121. sqq. Dn. Pufen-
dorius de J. N. & G. c. II. §. 2. p. 21.) Diciturque alias *Ratio, atq;
Principium,* & cum apposito *Ratio sententiæ, atque Causa asserti.*
Et habet quidem propositio, aliam necessario inferens, istius in-
tuitu, causæ nomen; quoniam illius cognitio istius notitiam in
animo, ab affectibus libero, causæ instar necessario gignit ac effi-
cit. Vide, si placet, eam in rem plura subtiliter, pro more Scho-
lasticorum differentem Hurtadum de Mendoza Disp. Log. XI. Sect.
X. p. 210. & de Anima Disp. IIX. p. 105. nec non Philippum à SS.
Trinit. P. I. S. Phil. Qv. XXI. art. III. p. 290. sqq. Quibuscum vero
& conjungi meretur Dn. Weigelius l. c. §. 18. & sqq.

§. 5. *Causa autem demonstrativa* specialiter sic dicta est,
qua speciatim demonstratur, cur, vel per quod, aut propter quod
aliquid sit. Seu, est id, quo quæstioni propter quid apte respon-